Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis, Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

Nádasi, János

Coloniae Ubiorum, 1667

20 Jan. 13 Kal. Feb.

urn:nbn:de:hbz:466:1-53527

Visual Library

S. Catelle Epiſc. in carcere, à S. Michaële Archangelo, bono animo eſſe juſſe.

S. Launomare Abba, qui oratione, ſigno Crucis, & oleo, ignem, morbos, dæmones, fugâſti.

S. Aquiline Herbipolenſis, qui à Colonienſibus, tùm à Pariſienſibus, (quos à peſte liberaveras) pro Epiſcopo optatus, ac fugâ elapſus, demum ab Arianis gladio in gutture transfixus, nobilis Deo victima cecidiſti: & illi repentè, coortâ denſâ nebulâ, impediti ſunt, ne ſacrum tuum corpus auferrent.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 44.

S. MARIA, *quæ S.* Abundantiæ, *octo annos natæ,* JESUM *parvulum attuliſti; à quo illa aureum pomum accepit, & ei flores hibernos dedit. Da mihi, quod ei donem; & fac, ut id donem Filio tuo, quem in Euchariſtiâ accipio, quod illi maximè placet!*

20 Jan. 13 *Kal. Feb.*

S Sebaſtiane miles, qui è cælo audiſti: *Nunquam non mecum eris;* qui ex aperto Angeli coram te libro viſus es omnia dicere, quæ dicebas; qui fracto, in aſtrologiæ judiciariæ

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

uſus facto, cælo vitreo, Mathematicum perſanâſti, & convertiſti: qui ſagittis meta factus, metam ſanctam attigiſti, Deum; peſte laborantium advocatus. Tuis, quæſo, precibus id effice, ut plus animi ſemper luem horream, quàm corporis; ut ita omnia in oculis Dei faciam, ut in vitá, in morte, in æternitate, ſemper ſim cum Deo, & experiar illud: *Nunquam non mecum eris*. Amen.

S. Fabiane Papa M. qui delapſa ſuper tuum caput cælitùs columbæ ſigno, in Pontificem electus es.

Sancti Baſſe, Inna, Leonti, & ſocii Martyres.

S. Neophyte, quindecim annorum adoleſcens, qui matrem à mortuis excitâſti, & ab Angelo Cuſtode nutritus, illo comite, ad Tyrannum adiiſti; flagris deinde cæſus, in fornacem injectus, feris objectus, ſemper illæſus, gladio martyrium conſummâſti.

S. Maure Epiſcope.

S. Euthymi Abba, qui divinum ſacrificium, igne cæleſti, Angeliſque circumdatus, peregiſti: qui ubi S. Cyrilli os divino quodam ſucco ter unxiſti, illum facundum reddidiſti: qui duos ab eo, quod illis

dæmon

dæmon injiciebat, fræno liberâſti, & eorum alteri dixiſti: *Attende tibi; totus ſis oculus inſtar Cherubini: cogita te inter laqueos incedere.* qui è quodam ſulphureum dæmonem, faſſum ſe eſſe ſpiritum luxuriæ, fugâſti; ad Euchariſtiam accedentes, quoſdam illuſtres, quoſdam nigros, eſſe vidiſti, poſt mortem ſanctam etiam admirandus.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 44.

S. MARIA, *quæ dilectam tuam* Euſtochium, *cùm, ob vitæ arctioris curam, à pluribus affligeretur, viſitâſti, ſolata es, & de arcanis cæleſtibus docuiſti. Doce me, & effice, ut propter humanos reſpectus nihil negligam eorum, quæ Dei ſunt!*

S. MARIA, *cujus mira effigies, hoc die, anno* 1518, *Lilybæi reperta eſt; poſteaquam tu religioſo Eccleſiaſtæ per quietem oblata, eum monuiſti, ut ſaxo quodam perfracto, tua iſtic imago quæreretur. quâ repertâ, ibi ſupplicibus aliis aurium, aliis linguæ, uſum reddidiſti: Proregem Siciliæ ab herniâ, & complures alios à morbis aliis, perſanâſti. Doce me, hortare me, ut te quæram, atque inveniam; ut perficias aures meas, linguam meam, cor meum tibi!*